Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

CVBEBIS,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

GVILIELMO HENRICO,

DVCE SAXONIÆ, IVLIACI, CLIVIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, & reliqua,

PRÆSIDE

GEORGIO VVOLFFGANGO VVEDELIO,

HEREDITARIO in Schwartza/

MEDICINÆ DOCTORE, COMITE PALATINO CÆSAREO, CONSILIARIO ET ARCHIATRO DVCALI SAXONICO, THEORETICES PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO,

Patrono & Præceptore ſuo omni obſervantiæ cultu proſequendo,

Pro

GRADV DOCTORIS,

Summisque in arte Medica priuilegiis, MORE MAIORVM, rite capeſſendis,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI EXHIBITA

Ab

HERMANNO FRIDERICO TEICHMEYER,

Mündenſi Hannouerano,

IN AVDITORIO MAIORI,

Horis ante- & pomeridianis conſuetis, A. D. Iunii, A. C. M DCCV.

A Son Alteſſe Electorale,

MONSEIGNEVR LE PRINCE

GEORGE LOVIS,

Duc de Brunſuic & Lunebourg,

Electeur du S[t]. Empire.

MONSEIGNEVR,

E bonheur, que mon Pere a eû, de jouir tranquillement de

 la

la Protection de V. A. E^{le}, pendant tout le temps, qu'il a fait Profeſſion de Medecine, en ſervant fidelement la Ville & les environs de Munden, me donne quelque eſperance, de pouvoir meriter un jour les mémes Graces, pourveu que je ſois aſſez heureux de l'imiter & d'avoir l'honneur de m'attirer un regard favorable de V. A. E^{le}. C'eſt dans cette veue, que je prens la liberté, de

de mettre ce petit ecrit aux pieds de V. A. E^le. & de le publier ſous ſon Auguſte Nom, avec toute la ſoumiſſion, dont je ſuis capable. Heureux, ſi à l'abri de ſa Clemence, je puiſſe trouver un Azil dans ſes E'tats, de meme que le chétif arbriſſeau des Cubebes, en s' attachant aux plus grands arbres, eſt protegé contre les tempétes & les chaleurs exceſſives. En attendant une Grace ſi eclatante

& qui fera toute ma felicité, je ſeray avec une parfaite devotion

MONSEIGNEVR

de Vôtre Alteſſe Electorale

le tres-humble, tres-obeïſſant & tres-fidel ſerviteur & ſujet

H. F. TEICHMEYER.

I. N. I.

PRÆFAMEN.

NOn immerito *Herophilus* olim, autore *Celſo*, dixiſſe fertur, medicamenta Deorum immortalium manus eſſe; cui addere iuſtum fuerit, gratioſas & ad iuuandum promptiſſimas.

Sæpe enim medicamento efficaci dato, protinus, velut præſenti numine, omni dolore periculoque liberantur ægri, alias perituri, vel longiori mora peius habituri.

Accedit, vt vbique Deus eſt, omnipræſens, & in auxilium ſic ſine vlla remora vocandus, cum in illo viuamus, moueamur & ſimus; ita quoque medicina quidem nusquam non eſt, modo exquiratur ſollicite, & ad creatorem O. M. fuſis precibus applicetur debite.

Conſtat, etiam *Homeri* teſtimonio, ab ethnicis morbos quoque ad iram Deorum immortalium relatos eſſe, & ab iisdem opem poſci ſolitam; nedum ipſos Chriſtianos, cognitione Dei genuina imbutos, rectius noſſe hæc omnia.

Inter hæc ſimplicia remedia primas tenent, eaque interdum efficaciora, quam ex pluribus compoſita;

poſita; diffuſa toto terrarum orbe, vt & vernacula indigenis morbis præſto ſint, & extera inuitent ad deprædicandam ſummi numinis maieſtatem.

Summa ineſt plantis medicis diuerſitas, & tantum non in finitis infinita diuinitatis gloria emicat. Videas tamen & in hisce quendam dignitatis ordinem, ad vſus medicos deſtinatis, etiam certis & exploratis vſu.

Alia primam tenent ſedem, alia mediam, alia vltima ſubſellia occupant, & quidem ex ſingulis quaſi loculis. Egregius locus debetur inter aromata etiam CVBEBIS, aliis contra hinc ex alio ſub ſole calentibus terris in vniuerſam Europam aduehi ſolitis. De his cum loco Diſſertationis Solennis agere ſit animus, Deum conditorem cordicitus oramus, vt feliciter omnia eueniant!

CAPVT I.
De Definitione nominali & reali.

DVo fas eſt circa examen ſimplicium ſpectare in genere: (1) τὴν ἐν λόγοις δύναμιν, *in verbis facultatem*, (2) τὴν ἐν τοῖς πράγμασι μεθ' ἐμπειρίας ἐπιμέλειαν, *in rebus cum experientia curam*, vt ſic com-

completus cognitionis & applicationis emergat actus. Idem & circa cubebarum ſcrutinium præſtare annitemur pro virili.

Nomen ipſum expendi meretur tanto magis, quanto minus cognitum eſt, in Latio pariter ac Hellade, in vtrumque transſumptum. Enimuero ita comparatum eſt in exoticis, vt cum re ipſa vel ſemel impoſitum nomen ſuum faciat quælibet natio alia, vel aliud melius excogitet, non æque tamen in vſum ſic vocandum.

Hinc, ſi autores Medicos conſulamus, commune hoc habent cubebæ cum aliis, non modo aromatibus non paucis ipſis, ſed & alterius claſſis ſimplicibus, quorum æuum antiquius non meminit, ipſis artis conditoribus primis aliis potius patriis contentis. Æque enim ac noſtris ſeculis noua ſubinde fit acceſſio, erutis & aſportatis aliunde exoticis, ita & olim contigit idem, maxime circa Indicas merces, per commercia demum ſucceſſiue importatas.

Iungi vero meretur artis medicæ cultus: Græcis enim & Latinis ſcholis Arabicæ cooptandæ, cum tribus hisce præcipue debeamus originem, & poſterioribus quidem velut mediis. Hæ enim & ſua elargitæ ſunt, ac auxere ſupellectilem, & quartam vero ſibi vendicant claſſem Indicæ, olim minus vel cognitæ, vel acceſſæ.

Si dicere volumus, quod res eſt, & a prima origine repetere nomen, ab inuentoribus impoſitum, ab aliis diuerſimode expreſſum & variatum deprehendere licet. Primum quidem apud Græcos poſteriores fit huius mentio. Apud *Actuarium* enim κόμβεβα vel κέμπεβα vox occurrit, quam interpres etiam in ſingulari reddidit *lib. de medic.*

 compoſ.

compoſ. in Antidoto dialacban p. m. 90. & additur: quam priſci vocant carpeſium. Eiusdem etiam meminit *Myrepſus ſect 1. de antid. c. 22.* & *c. 123.* ubi Græcus codex habet κȣμπέπερ, vel κομπέπερ.

Vel ſolum vero *Actuarii* hoc teſtimonium ſufficit, antiquitus iam autores putaſſe, cubebas eſſe easdem cum carpeſio. Neque abnuunt vires, a *Galeno* & *Ebnſina* memoratæ, eiusdem commatis; ille enim Carpeſii non vno loco meminit, maxime *l. 1. de Antid.* & *l. 7. de ſimplic.* Aſt non pauci hodierni rectius ſibi videntur ſtatuere, cubebas non eſſe carpeſium Galeni, quod nec patria reſpondeat, plurimum enim naſci ſcribit prope Sidam Pamphyliæ, nec affectiones aliæ, nominatim quod ramorum meminerit, niſi dicamus veteribus & ramos fuiſſe in vſu, vt de pipere ſuo etiam *Hippocrates* meminit.

Quicquid horum ſit, carpeſium cubebas dici poſſe non abſurdum eſt, quandoquidem pro diminutiuo a voce καρπὸς *fructus* accipitur, eſt enim reuera paruus fructus. Neque ignotum eſt tum aliorum, tum cubebarum exemplo, vnum idemque ſimplex plura iam olim obtinuiſſe nomina.

Vt vero de hoc paulo curatius diſpiciamus, operæ pretium eſt. Qui contrarium ſeu negatiuam tuentur, vt, præter primipilum *Mattbiolum, Salmaſius, Plempius, Caſp. Hoffmannus l. 2. de Med. Offic. c. 75.* non pauca afferunt argumenta. Magna eſt, hic *ait*, concertatio, an ſit carpeſium Galeni. Fundamentum eſt, quod ſit ἀπὸ τȣ̃ καρπȣ̃. At Galenus *1. Antid.* vocat λεπτὰ κάρφη, παραπλήσια τοῖς τȣ̃ κινναμώμȣ ἀκρεμόσι, *tenues feſtucas, ſimiles ramulis cinamomi.* Hactenus ille.

Quanti

Quanti hoc ſit, non melius iudicari & cognoſci poteſt, quam ſi fontes ipſos inſpiciamus intimius, & Græcum inprimis textum. Poni vero fas eſt, carpeſium Galeno inter ſimplicia claſſica, & ea quidem præcipua, numerari, eidemque ſuccinere *Aetium, Paulum Æginetam*, & *Oribaſium*, ſi non iisdem verbis, tamen ſenſu, deſcribentes easdem vires. Negari etiam nequit, ſed inter conceſſa habendum, eſſe dictum a fructu, q. d. paruum & eximium fructum, adeoque fructum & lignum non eſſe confundendum. Ratum item, Arabes, *Ebnſinam, Rhaſen, Serapionem*, optime noſſe potuiſſe cubebas, imo abſurdum eſſe, illos easdem neſciuiſſe. Iam vero *Ebnſina* iisdem prædicatis deſcribit carpeſium *l. 2. Canon. Tr. 2. p. 208.* ac Galenus, imo, quod *Fragoſius, a Coſta, Garcias ab Horto*, de vi aphrodiſiaca referunt, & ipſum dudum memorare videas. Vbi vero eadem prædicata, ibi idem ſubiectum inſinuari, manifeſto efficitur.

Videtur hinc ἀῤῥωστία quædam διανοίας, aſſerere velle, non ſolum cubebas noſtras differre ab Arabum cubebis dictis, ſed etiam carpeſium Galeni non eſſe cubebas. Incongruum item, cum *Cordo* ſtatuere, carpeſium dari hodienum aliud a cubebis, quod *l. 4. hiſt. plant. c. 25. p. 195.* deſcribit, neque vero alius quisquam, quod ſciamus, cum eo conſentit, vel ſimile quid tradit.

Cumque in omnibus tam accurate reſpondeat textus *Ebnſinæ* cum *Galeno*, vt etiam aſaro ſubſtitui ex hoc ſcribat, *l. 5. Summ. 1. Tr. 2. p. 589.* Et quandoque, *inquit*, ponuntur loco eius cubebæ, & ſunt ſubtiles, quod itidem ex Galeno mutuatus eſt, & tranſtulit; mirum fuerit, vel inconueniens potius, hodie demum id negare, quod Ara-

bes laudati, quod Græci poſteriores expreſſis verbis, & vno velut ore, citra vllam difficultatem, ſtatuunt ſcribuntque.

Nec putandum eſt, ob criticam quandam difficultatem, vbi in verbis quoddam occurrit dubium, nullum in re, ſtatuendum eſſe, tam inſigne, tam nobile ſimplex, quod olim in theriacam Quintus non dubitauerat loco cinamomi reponere, quod hodie locum carpobalſami in eadem occupauit, deperditum. Fruſtra eſt, non agnoſcere velle obuium, & omnibus illis dotibus vbertim præditum, quas veteres illi deſcripſerunt.

Sed videamus textum *Galeni*, obſtantem viſum, ſi prius illud addiderimus, veteres, vt in aliis idem videas Galeni & Dioſcoridis v.g. locis, recepta illa tanquam γνώριμα, & vulgo cognita, ſeu nemini medicorum ignota, minus accurate deſcripſiſſe quoad formam ſuam & characteres. *Galenus* itaque cum *l. 7. de ſimplicibus* potiora de carpeſio dixiſſet, *l. 1. de Antidot. c. 14.* refert (1) illud διασώζον ὀσμήν τε καὶ γεῦσιν, *odorem & ſaporem diu retinens*; id vero de cubebis eſt longe veriſſimum, ob particulas actiuas, ſalino-ſulphureas, easque vnitas & reconditas quaſi ſingulis vaſculis, modo ſeruentur integræ, non pulueriſatæ, ita enim exhalans difflatur odor facilius.

Addit (2) ἔστι δ' ὁμοία μὲν, τῷ καλουμένου Φοῦ κατὰ γένος, ἰσχυροτέρα μέντοι, καί τι καὶ ἀρωματίζον ἔχουσα, quæ interpres ita reddit: *eſt autem carpeſium herba phu appellato genere ſimilis, validior tamen atque aromaticum quoddam plus ſpirans.* His vero falſi ſunt boni autores, Græcis vel non lectis, vel non intellectis. Falſum enim eſt, Galenum vocaſſe herbam; falſum, intellexiſſe. Vox enim ὁμοία, *ſimilis*, non refe-

referenda ad carpeſium, ſed ad proxime antecedentem *ὀσμήν τε καὶ γεῦσιν, odorem & ſaporem.* Confer. *l.c. l.7. de ſimpl.* Notio ergo hæc herbæ falſo conceptæ decepit bonos viros, vt & carpeſium herbam vocatum putarent, vt taceamus phu ipſum notare h.l. non tam herbam, quam radicem valerianæ magnæ hodie etiam dictæ, cuius loco paulo poſt addit, ſe recepiſſe in permultis medicamentis carpeſium, quod & *Ebnſina* repetit.

Adeoque mens textus eſt, conuenire in genere carpeſium odore & ſapore cum radice officinali & theriacali phu, id quod omnino e re philoſophanti eſt veriſſimum, ſimilitudine generali puta, odore & ſapore acriuſculo-amaro-ſubtili, non identifica; & diſtincta quoque aromatica qualitate & prærogatiua.

Mittimus (3) quæ de loco natali laudato addit, Sida vrbe Pamphyliæ, vt alibi Syriam quoque nominat; neque enim æque negari poteſt, neutiquam illic hodie reperiri cubebas; neque, ſi vel maxime id conceſſerimus, inde conſequitur, nec olim ibi creuiſſe, quod aliis exemplis facile fuerit vel ex *Theophraſto Ereſio* comprobare, ſi id opus foret.

Potiſſimum vero eſt, (4) quod ſequitur: *λεπτὰ δ' ἐστὶ τὰ κάρφη, παραπλησία τοῖς ἀκρέμοσι τοῦ κινναμώμου.* Vulgatus: *Tenuia autem quædam carpeſii ſarmenta cinamomi virgultis ſimilia ſunt.* Sane collegit ille cum ratione, non hæc eſſe prædicata carpeſii, quaſi mens ſit, vt finxere ſibi ſupra dicti, carpeſium ſunt tenuia ſarmenta: id enim textui nullatenus quadrat, qui aliquid potius carpeſii adiunctum his verbis tangit.

Non dicemus, ipſum *καρπὸν* dici, iuxta *Etymol. magnum*

παρὰ τὸ κάρφος, ὃ σημαίνει τὸν ξηρὸν, ab ipſa voce κάρφος, quod ſignificat ſiccum. Satis eſt intelligi potius τὰ κάρφη, ſtipulas, feſtucas, *κεραίαν ξύλου λεπτὴν*, apicem tenuem carpeſii, quam ipſum carpeſium, adeoque hodienum ſolenniter cum cubebis reperiundas & vendi ſolitas particulas oblongas, quaſi lignoſas, vel ramoſas, de quibus in ſeqq.

Hæ quomodo cum cinamomi virgultis conueniant, non æque quidem planum eſt, ob denegatum examen intimius oculare; notum tamen eſt, ex *Guil. Piſonis mantiſſ. aromatica p. 167.* Cannellæ ſeu cinamomi arborem gaudere ramis multis longis, craſſis, enodibus: ex iſtis deinde ramis ramulos exigere alios folioſos. An hi forte conuenientiam habeant cum cubebarum illis ſociis ramuſculis, certo quidem dici nequit, maxime tamen id videtur veroſimile. Et latiorem ſimilitudinem eſſe intelligendam probat idem textus, ſiquidem *παραπλήσιον ſimile* æque dicit phu pontico.

Concludemus hæc (5) delibato adhuc prædicato, repetit enim *l. c.* carpeſium ἔχον τι (non ἔχουσα) ποιότητος ἀρωματιζούσης ἐν ὀσμῇ τε καὶ γεύσει, *habens qualitatem quandam aromaticam, guſtu & odoratu.* Id vero prima fronte minus obuium eſt maſticatione, magis in puluere, facta tritura & cribratione, & omnium euidentiſſime ſe exerit.

Interim vero *κόμβεβα* proprie non eſt Græcum vocabulum, ſed transſumtum. Liceat tamen per quandam alluſionem ἀπὸ τοῦ κομβεῖν, *ornare*, Græco eidem aliquod decus fœnerari, ſiquidem eſt etiam ornamentum quoddam inter aromata & medicamenta alia, ob gratiam non minus, quam virtutes, quas poſſidet, ſummas.

Quod ſi vero in lectione veterum inquiramus curatius,

tius, annon, ſub alio licet nomine, liceat offendere huius tam nobilis aromatis mentionem, ſane non vnum occurrit, ſed plura. Præcipuum eſt *κώμακον*, *Comacum Theophraſti*, *Hiſt. Plant. l.9.c.7*, memoratum. Idque duplicis generis cum faciat, primi generis huc pertinere remur, *τὸ κώμακον καρπὸν*, *Comacum fructum*. Vtut enim vtrumque inter odorata, quorum in vnguento vſus eſt, & quæ ex India aduehuntur, referat; alterum tamen potius aliis relinquimus, qui partim caryophyllum, partim nucem moſchatam innui volunt.

Notabile hinc eſt, ipſum quoque *Galenum μύρον* hoc *κωμάκινον*, *vnguentum comacinum* laudare, *l. 3. de ſanitate tuend. c. 40.* id quod, contra Græcorum Codicum fidem, in Comagenum vertere conati ſunt, cum tamen bis hic occurrat eadem vox, commendatum ad affectus, qui proprie refrigerationis dicuntur; vt taceamus comagenum magis oleum alibi ipſi dici, quam vnguentum.

Cumque *l. c. Theophraſtus* diſtinctim recenſeat cinamomum & comacum, merito hæc etiam non ſunt confundenda, vt apud *Plinium*, qui hæc ſua fecit, non mutanda.

Neque Latini abnuunt, ſiquidem apud *Scribonium Largum* Cumamum effertur & recipitur ter, *compoſ. 26. 143. & 271.* vbi *Rhodius* quidem fatetur: Omnes ita legunt, & fruſtra tamen ſupponit cinamum.

Longe rectius cumamum idem ſignare ſcribit *Salmaſius* in *Exercit. Plinianis p. 923.* ſeu idem eſſe ac Cubabum, eamque mutationem literum B & M non vno experimento demonſtrat, ex quo idem ſuum fecit *Plempius Schol. in Ebnſin. l. 2. p. 164.*

Confirmatur id omne non ſolum ex analogia laudata, verum etiam, quod hodienum in Iaua, vbi copioſe creſcunt

cu-

cubebæ, dicatur Cumuc, a reliquis vero Indis Cubab Sini, non quod in China naſcatur, ſed quod eo perferatur, vt *Fragoſius* & exinde *J. Bauhinus Hiſt. Plant. l. 15. c. 47. p. 191.* aliique volunt.

Sicuti ergo ob frequentem vſum, & ad diuerſos populos vecturam, cubebæ quamplura ſortitæ ſunt nomina; ſic & alia viſi geſtiunt. Ita, ob inſignem conuenientiam cum pipere, huius quoque nomen ſibi adſciuere, vel ſub eodem latuere. Ita quamplures autores easdem Hippocrati ipſi ſub hoc nomine iam cognitas aſſerunt, quando inprimis *l. 2. de morb. mulier. c. 84. t. 8.* inter προσθετὰ μαλθακὰ, *ſuppoſitoria mollia* vteri recipere & apparare iubet, κόκκους τριήκοντα τοῦ Ἰνδικοῦ, ὃ καλέουσιν οἱ Πέρσαι πέπερι καὶ ἐν τούτῳ ἔνι στρογγύλον, ὃ καλέουσι μυρτίδανον, *grana triginta* (cnidia decorticata male vertit interpres,) *Indici, quod Perſæ piper vocant*, & *in hoc eſt rotundum, quod appellant myrtidanum.*

Sane non eſt de nihilo hoc aſſertum, ſiquidem Indicum dicitur a patria, vt de nomine Perſico iam non dicamus, & deſcribitur ſpecifice ab vſu. Piper vero commune longe acrius & vteri oſtio impoſitum minus ferri poſſe videtur. Hinc & alii piper στρογγύλον *rotundum Theophraſti l. 9. Hiſt. Plant. c. 22* eſſe volunt.

Suggerunt imo hæc iterum aliud nomen, vt mirum ſit, quanta in hoc occurrat copia quaſi & varietas. Enimuero referri huc meretur locus *Strabonis*, de Ægyptiacis, *Geogr. l. 17. p. m. 823:* γίνεται δὲ καὶ τὸ κόρσιον, ὅμοιον τῷ πέπερι τράγημα, μικρῷ αὐτοῦ μεῖζον. *Naſcitur etiam Corſium, piperi ſimile tragema, pauculum ipſo maius.* Aliud vero longe eſt κόρσιον hoc a *Theophraſto* memorato, qui *Hiſt. Plant. l. 4. c. 10.* ſcribit: ἡ δὲ ῥίζα τοῦ λωτοῦ καλεῖται μὲν κόρσιον, *radix loti corſium appellatur.* Acce-

Accedit & *Plinii* locus *Nat. Hiſt. l. 12. c. 7.* qui ſimul aliud nomen ſuggerit, ſed minus vſitatum. Eſt, *ait*, etiamnum in India piperis grani ſimile, quod vocatur garyophyllon, grandius fragiliusque. Id vero *Scaliger*, non adeo inepte, vt quibusdam viſum eſt, cubebis aſſignat, *Exercit. 146. t. 1.* & *147. t. 2. de ſubtil.* Caryophyllum enim vſitatum neque granum eſt, neque vlla in re piperi ſimile. *Guil. Piſo* vero veterum amomum iudicat, *mantiſſ. arom. p. 222.*

Inde vero & myrtidanum audit, per dicta, non quidem *Dioſcoridis*, ſed ipſa illa *Coi* autoritate, ὅτι μύρτῳ ἔοικε, *quod myrto ſit ſimilis*, granis vero myrti non pauci ſimiles aiunt. Ceterum nil quicquam commune habent cum anomalia illa myrti, quam prior ille laudat.

Sin *Myrepſi* iſtam repetamus vocem, κομπέπερ, forte ex comaco & pipere coaluit in vnam, q. d. comacopiper, vt ſic a cumac ſeu cubebis diſtinguatur piper vulgare, & ſpecificatum innuatur, ſui generis, non idem, ſed ſimile; de quo tamen vnumquemque ſuo patimur gaudere ſenſu.

Arabice audiunt كَبَابَة Cubebæ, aromatis ſpecies acris, piperi forma ſimilis, vt interpres vertit. Germanis Cubeben / quibusdam etiam Schwindel-Körner / item Bräutigams-Körner. Atque hoc nomen apud omnes Europæos inualuit receptiſſimum ac vſitatiſſimum. Neque dubitandum hinc, vt aliquibus viſum fuit, quin obtineamus cubebas veras, prout ſemel claſſicum vſum ſunt indeptæ.

Definiri poſſunt cubebæ fructus exoticus racemoſus, granulatus, cum pedunculo, piperis æmulus, aromaticus,

polychreſtus. Ita breui & conciſa paulo notione concipi poſſunt, quandoquidem ipſæ, prout obuiæ ſe ſiſtunt, conſiderantur. Pleniore enim paulo egent colluſtratione.

GENVS aſsignatum eſt fructus, generale nomen plantarum vltimi fœtus, ſiue perennent, ſiue annuæ ſint ſolum. Hoc vero vocabulum, partim vt genus, partim vt ſynonymum haberi poteſt. Perinde enim fuerit quidem, vtrum grana, an ſemina, an fructus, vel baccas voces, res quippe eodem recidit, cum & fructus & reliqua ſint ſeminalia; maluimus tamen fructum granulatum vocare, vt ſpecifice magis concipi posſit & complete.

Exotici vero dicendi erant, quod Europæis ſint incogniti, & inuiſi in ſua origine & natali ſolo. Vtut enim *myrti ſylueſtris* Dioſcoridis, communiter ruſci dicti, fructum eſſe olim nonnulli putauerint, vt *Serapio*, *Syluaticus*, *Hermolaus Barbarus*; illud tamen iam dudum exploſum fuit, idque tanto magis, quanto certius & ſenſus contrarium docet, & baccæ ruſci per maturitatem rubeſcunt. Neque folio myrti eſt arbuſcula illa, neque, ſi talis deprehenderetur, id probauerit quicquam.

Idem dixerimus de *ſemine viticis*, quorſum nonnulli referre voluere, ſeculis mage incultis, id enim vel recenſere refutare eſt, nec cogitandum ſic de eo amplius, cum toto differant cœlo.

Proprie enim cubebæ ſunt fructus Indicus, neque promiſcue cum pipere confundendus. Vtut enim cum eodem non parum conuenire videantur extrinſeca forma, potiſſimum excepto pediculo longo, ſtyli inſtar, vnde piper caudatum non pauci vocant & eſſe rentur; curatioribus tamen contrarium perſuaſum eſt. Si enim intrinſeca

ca forma examinetur ſuis indicibus, & ſapore, a pipere caudato diſtinctæ ſunt cubebæ.

Videri de hoc inſtar omnium meretur *Cluſius Comm. in Garciæ ab Horto arom. Hiſtor. l. 1. c. 22. p. m. 184.* qui & depingit vuam huius, & deſcribit, cubebis nempe fere ſimile, pediculo ſubnixum exiguo, rotundum, plenum, aliquantulum rugoſum, nigricans, eadem acrimonia, qua piper præditum, aromaticum, & reliqua. Confer *Muſeum Calceolarii p. 589.* vbi eadem repetit, *Piſo* vero illud ſibi non cognitum ſcribit.

Ex quibus efficitur, piper caudatum dici cubebas non niſi ἀκύρως, ſeu latius & abuſiue. Multo minus ad *amomum* referendæ fuerint, vti legitimi amomi fructum putat *Cæſalpinus*; in quibus vt longius occupemur, non opus eſt. Non poſſumus tamen & illud hoc loco, occaſione piperis caudati, delibare, quod Indiæ Orientali debeantur magis cubebæ, minus Americæ, quamuis & hæc analogum quid habeat.

Enimuero non ſolum Nhandu, ſeu piper caudatum Braſilienſe, deſcribit *Guil. Piſo l. 4. hiſt. natur. & med. c. 38. p. 196. ſ.* nec capſicum Braſilienſe, piperis Indici nomen, ſine cauda quaſi eſt, ſeu peniculo, piperum vices & ſuo loco ſupplens; ſed & ſeorſim Pindaibæ & Ibiræ ſylueſtrium arborum fructus *l. c. c. 18. p. 144.* ne plura alia laudemus. Vid. *Dale Phytol. part. 2. p. 464.*

Sufficit nobis, fruticem eſſe conuoluulaceum, creſcere inſtar piperis, vel lupuli, vel ſylueſtris hederæ, inter alias ſcandendo, flore odorato, foliis piperis, ſed anguſtioribus, vid. *Wormii Muſeum p. 197.* quamuis inſtar mali ſe habere ſcribant quidam, vt *Linſchot. p. 4. Nau. Garcias* ipſe,

&alii. Singulæ baccæ, ſingulos habent pediculos in racemis ſuis, quæ omnia tamen aliena nituntur fide, recepta tantiſper relatione, donec meliora affulgeant & haberi queant.

CAPVT II.

De Loco natali, notis & qualitatibus Cubebarum.

LOcus ipſe natalis cubebarum communiter aſſignatur Iaua, inſula famoſa Indiæ Orientalis, vbi ſua ſponte in ſyluis creſcere traduntur ad ripam Sunda. Tanta etiam inuidia deperire illas feruntur vulgo incolæ, vt prius, quam euehi aliorſum concedant tam nobiles fructus, decoqui curent, ne propagari & ſeri alibi queant. Id vero fabula potius eſt, quam fide digna relatio, ſi cogitemus, quanta copia & quantitate apud nos & in vniuerſo quaſi orbe terrarum habeantur. Tacemus virtutes ſic fore imminutas. Neque timendum eſt, ne ſub alio Climate, Europæo v. g., proueniant, nec enim quæuis fert omnia tellus.

Nominantur quidam & Ceilon & Pegu, vbi creſcant, indeque educantur; quæ ipſa optandum foret, vt maiori gaudeant certitudine, cum, in tanta commerciorum frequentia, adhuc tamen non pauca profundis immerſa ſint tenebris, magis lucri, quam ſciendi cupiditatis, gratia requiſitis & aſportari ſolitis hiſce, aliiſque talibus.

Linquamus ſuis autoribus opinionem citatam, nullas

las apud Sinas creſcere cubebas, conſtans tamen in *Pharmacopœia Perſica* eſt epitheton ac ordinarium, vt dicantur & præſcribantur cubebæ Sinenſes paſſim, cubebæ Chinæ & Chinicæ v. g. *p. 298. 353.* & Romanus Codex Ebnſinæ, teſte *Plempio*, addit: *& adfertur ex Sina*, vnde credibile eſt magis, vt piper, ita & cubebas apud Sinas creſcere, indeque exportari quoque.

Quod itaque porro notas electionis attinet, piperis æmulus aſſertus fuit fructus, ita tamen, vt & hoc ſimile etiam ſit disſimile, ſeu non idem tamen. Similes ſunt cubebæ quantitate, magnitudine & figura, piperi nigro. Alii paulo maiora grana cubebarum agnoſcunt, alii minora. Eſt enim in hoc quædam latitudo, reuera hinc vtrumque reperias, maiores cubebæ ordinarie ſuperant, minores non aſſequuntur æque piperis molem & pondus. *Figura* rotunda eſt, piperi abſolute quaſi, cubebis verſus pedunculum, oblongum rectumque, leuicule ad acumen vergentibus, quo per forficem reſecto, & illa viſitur conſimilis. Et hæc præparatio ſuperficiaria vel ſola ſufficit, nec alia in ſubſtantia conſideratæ egent.

Colore fuſco, ſeu ex cinereo ſubnigricante, pollent extrinſecus, in duas partes dirimendæ, corticem extimum, & nucleum, exiguum illum & rotundum glabrumque, exterius ex rubro nigricantem, interius albidum magis, quæ duæ partes facile poſſunt ſeparari. Cortex rugoſus eſt, interdum & rugis minus conſpicuis, aliquando & vacuus ſeu inanis reperitur. Et hæ fuerint magis immaturæ, vt nucleo præditæ maturæ magis. Vtræque tamen hæ partes ſunt vtiles, efficaces & aromaticæ, ſine diſcrimine vllo recipiendæ in vſum. Imo quidam efficaciorem corticem, & conſe-

quenter immaturas arbitrantur, leui tamen, quoad vſum, vel nulla differentia.

Vidimus & maiores quasdam, in altera ſummitate, pedunculo oppoſita, paulo latiori ambitu, cum eminentia breui in medio inſtar pileoli, quæ maiori videntur pollere maturitate. Remixta vero iisdem communiter viſuntur fruſtula ramoſa oblonga, lignea quaſi, teretia, vnciæ vnius, dimidiæ, vel vnius ſemis longitudine, inſipida fere reſpectiue, vel leuicule ſubamaricantia, quæ merito ſeparantur, nec in vſum veniunt, præterquam ab incuriis lucripetis, & relinquenda ſimul ad oleum deſtillandum.

Odore gaudent ſui generis, ſi ſibi relictæ naribus admoueantur, non niſi leuiori, non inamœno, & aliquid ſiue ſandalo rubro, ſeu croco quodammodo ſimile præ ſe ferente. Contuſæ vero vel maſticatæ & exhalationi ſubiectæ quaſi, vel ſubtilius præparatæ, magis aromatico, ſubacri & grato.

Sapore pollent acri, ſubtili, valde aromatico, ſuaui, penetrante, & pertinaci, ſimulque mediocriter amaricante; piperis tamen is acrimoniam non aſſequitur, ſed multum cedit. Quod ſi hinc maſticentur, voluanturque ſic in ore, has ipſas ſuas atomos largiter diffundunt, non ſolum in linguam, labia, fauces, gingiuas, vt intimius penetrando poros ſubeant ſenſibiliter, & fibrillas nerueas afficiant notanter, vt fundatur inde ſaliua; verum etiam ſurſum ad caput ferantur, & virtutem ſic longe latius exporrigant *ἀναθυμιάσει* tam amica & apprime actiua.

Commendat cubebas inter hæc non parum *duratio*. Ad inſtar enim reliquorum aromatum nullam ſentiunt cariem, ferunt ætatem illibatæ, neque corrumpuntur facile, nec putredinem ſentiunt, non tam ob ſiccitatem, (ſi quidem re-

relinquatur integra,) quam principia inter ſe combinata ſalino - ſulphurea, ex quibus etiam virtuoſos effectus eosque inſigniſſimos arceſſere integrum eſt. Per accidens vero, & citra aſſeruationem prouidam, ſitum, corruptelam & quaſi rancorem contrahere poſſe, non diffitemur.

Hæc vero vt ad reliqua ſtruunt aditum ſcrutinia, ad naturam cubebarum puta explorandam & exhauriendam: ita ad illa iam progredi licebit. Ceterum differentia vlterior nondum innotuit aliqua, vel ſpecies huc referenda alia, ſed recepta ſemel hac per plura iam ſecula vtimur in hunc diem. Maius vero vel minus illam non variant. Neque fraudes quoque notatas deprehendere licuit, quæ bonam partem hodie fieri deſiere, vbi ſemel ſtatuminati ſunt characteres, notæ electionis, & vires reſpondentes conſimiles. Tacemus ponderoſitatem æquabilem, aliis quoque ſeminibus communem.

Integrum hic fuerit memorare, dari etiam vel notatas eſſe cubebas ἀκύρως dictas, ipſasque ferreas, quales recenſitas & depictas, legere licet in *Miſcellaneis Naturæ Curioſ. Dec. II. Ann. VIII. Obſ. 149. p. 324.* Adeo & in his talibus ludit diuina potentia rebus.

Ex affectionibus vero recenſitis, & ſenſibus, a priori, & experientiæ a poſteriori obuiis, de temperamento cubebarum fieri non difficulter poteſt iudicium, quomodo qualitas ex miſcela particularum & principiorum mixti etiam huius ſe habeat ad principia vitalia corporis humani, Calidum & Humidum. Iamdudum a *Serapione* aſſignatum hoc eſt calidum & ſiccum tertio gradu, idque manſione prima: ab *Abuali* ſecundo ſaltim, ſubaudiendo, vel ſupponendo manſiones, vnam alteramque. Quamuis enim mi-
noris

noris gradus videatur eſſe qualitas paſſiua, præ actiua, communiter tamen illam ſequitur. Iuxta *Auerroem* ſunt ſubſtantiæ igneæ & terreſtris: & cum hoc ſunt aromaticæ.

Confirmat hoc etiam ἀνάλυσις Chimica per ignem; ſi enim per retortam vitream igni arenæ, vt fecimus, ſubiiciantur, præbent ſpiritum, eumque acidulum, & copioſum ſatis oleum. Non quidem apud nos cubebæ acu aut cultello punctæ, caryophylli modo, vel nuciſtæ inprimis, liquorem facile remittunt, quod de illis refertur apud *Bodæum comm. in l. 9. Hiſt. Plantar. Theophr. p. 1010.* ſicciores quippe ſunt, nec quod in recentioribus forte ſuccedit, in annoſis viſitur ſimiliter; aſt ſatis probat ignis tortura olei copiam inſignem. Id vero empyreumaticum eſt, vt aliter via ſicca fieri nequit, fortiori potisſimum ſub finem igne adhibito, ſi vel maxime primitus procedens minus ſit tale.

Mira hinc inter piper & cubebas differentia quoque emicat. Piper ignis examini ſubiectum, ſimili modo, ſal volatile penetrantiſſimum ſuggerit. Quis non idem coniectura probabilisſima putauerit eſſe expectandum a cubebis, aliis omnibus contra piperi ſymbolicis & velut homogeneis viſis? Nihil tamen horum inde elicueris, niſi nos omnia fallunt; ſaltim rite procedentibus id voto neutiquam reſpondit.

Neque tamen, ſale volatili carere cubebas, ex hoc experimento colligere licet, ſed idem potius aſſerendum eſt nihilominus, ſaluo experimento noſtro aliorumque. Cum enim in lignis ipſis, quæ maiori longe quantitate & gradu acidum ſpiritum fundunt, idem latitet, in fuligine ſublimatum, ſub ſulphuris copula, reperiundum & obtinendum, cum tamen ſint inſipida potius iudicanda, nec tali actiuitate,

tate, nedum aromatica, prædita; cur non idem in cubebis quoque aſſeramus, vel concedamus, vbi præcellit ſal acre aromaticum, ſenſuum apices tam delicate & manifeſto afficiens?

Sane agnoſcimus etiam hoc exemplo ineffabilem maieſtatis diuinæ ſapientiam, quam in eruenda miſcela particularum & κράσεως eminentia non aſſequi centraliter & euidenter poſſumus, contenti in ſeminali & dotali virtute ipſis quoque ſeorſim & ſpecifice conceſſa. Interim tamen hoc ratum videtur, in cubebis magis eminere ſulphur, in pipere reſpectiue ſal, nam illæ particulæ facta διακρίσει hac emicant, vnde & oleum piperis non tam large obtinetur, quin parcisſimum haberi *Brendelius* & *Ang. Sala* iamdudum obſeruarunt. In pipere porro magis ſal volatile alcalicum prædominatur, in cubebis vero acidum, ſed modificatum tamen.

Adeoque acri-aromatico ſale, ſed præ pipere minori acrimonia, gaudent cubebæ, ſale volatili obtuſo partim ab acido, & hoc vicisſim ab illo, partim occultato ab oleo, ab vtrisque emergente qualitate & virtute egregia, diffuſis his mirum quantum, ſi mediante ſaliua in ore, mediante lympha in ventriculo cum corpore communicentur hæ particulæ, puri, grati, amici, volatilis ſalis ac ſulphuris, particulis terreis & alcalicis fixis vna amaritiem quandam fœnerantibus. Hæc itaque elementa ſunt cubebarum, & fundamenta virtutum, quæ non poſſunt non hinc deriuari & arcesſi inſignisſimæ.

CAPVT III.

De

Viribus Cubebarum.

Conſultum fuerit, has ipſas ſummatim & diſtinctim recenſere. Enimuero cubebæ ſunt 1. *aroma calefaciens & ſiccans*, ob particulas ſalino-ſulphureas actiuas prædominantes, rarefactiuas illas, & in actum deductas, ſpiritus & fluida vitalia in motum vocantes. Habent id cum aromatibus reliquis omnibus commune, omnia enim, etiam *Pergameni* ſolenni effato, ſunt calida: vnde in frigidioribus temperamentis ac affectibus apprime conueniunt; neque tamen excesſiue id præſtant, non facile noxa inde timenda, modo non in abuſum trahantur. Imo hæc calefaciendi vis ob exhalabilitatem diſcusſiuam & difflabilem, ob acidi intimius commercium & concurſum, ita moderata eſt, vt ad inſtar camphoræ, etiam in calidis affectibus, ſecus ac piperata & ſimilia, in vſum vocari posſint. Et ita ad bonum ſenſum trahi poſſunt, qui apud *Ebnſinam* carpeſium etiam refrigerare rebantur.

Hæc autem vis, primis qualitatibus debita, e miſcela principiorum & particularum reſultantibus, reliquis omnibus fœnerat pondus, & ſeorſim 2. vt ſint *aroma medicamentoſum, minus alimentoſum.* Aromata vim habent condiendi cibos, quo nomine omnis virtus, quam corrigendo, gratiam conciliando, & aliis exercent, comprehendi poteſt; adeoque ſunt culinaria quoque, medicamentoſa correctoria, & condimenta vno verbo. Aſt cubebæ non deſinunt quidem talia vt eſſe, ita dici quoque: ſed cum reliqua ſufficiant,

ficiant, cum lenem quoque amaritiem acrimonia confermentatam obtineant, in culinas in hunc vsque diem receptæ vſu non ſunt: aſt medicamentoſam tanto præſentiorem habent, quanto actiuiorem posſident, ſaltim cum reliquis diuiſam & parem, ſi non ſuperiorem, virtutem.

Cubebæ 3. ſunt *aroma euporiſton, portatile & polychreſtum.* Euporiſton, ſtatim ſuum, ſunt, ſimplex & optimum in ſua ſimplicitate, citra maiorem aliquem apparatum; id quod alia etiam quædam poſſident, ſed in reliquis cubebas non aſſequuntur, nedum ſuperant. Portatile ſunt, quas quilibet valetudinis ſuæ ſtudioſus ſecum geſtare vtiliter & poteſt & debet, citra ſumptus aliquos maiores, ſummis contra ea vſibus, quos ordine recenſendos vel tacendo huc referimus. Polychreſtum ſunt ſummum; quas reliqua aromata habent ſpeciatim, ſeparatim, diuiſim, cubebæ habent & omnes, & cumulatas, & maiores reuera, aliis omnibus contra polychreſtas vires.

Cubebæ 4. ſunt *aroma incidens, attenuans, rarefaciens.* Humores viſcidos, lentos, pituitoſos, quietos, abſtergunt, disiiciunt & λεπτομερείᾳ ſua corrigunt, in motum citant. Bilioſos partim reſpectiue reſtituunt, partim corrigunt, ſi fuerit iners, aquoſa, tartarea, lenta & viſcida bilis. Acidos, melancholicos, fixos, ſaturant, refrenant, cicurant, domant. Vigorem ſanguinis firmant, ſal volatile eius animant, globulos ſulphureos luminoſos ſaluos reddunt, & vegetant, calorem, conſiſtentiam & motum præſtant integrum.

Sunt 5. *aroma aperiens, reſoluens, deobſtruens.* Sane ſub ſpeciali conſideratione diſtinctius omnia patent. Cumque hi vſus ſint latius patentes, merito, generali notione & viribus ſeu ἐνεργείᾳ præmiſſa, ſpeciales certius &

rectius emicant ac ſubſumi poſſunt. Enimuero, ne dicamus iam ſimul de ſingulis reliquis ventribus, & viribus ſic ſpecificis, inter aperientia κατ' ἐξοχὴν ſic dicta, infimo ventri debita, militant etiam cubebæ. Sequitur idem ex præmisſis, quandoquidem tenuitate partium lentorem & viſcedinem lymphæ reſpiciunt, extricant, & in motum debitum vocant, acido ipſi contrariantur, & ſic remoras expediunt.

Cubebæ 6. ſunt *aroma diureticum & diaphoreticum.* Quandoquidem enim fundunt humores, tum reliquos, tum ſeorſim laticem, διάκρισιν, *ſeparationem* eiusdem promouent, vt ſi halituoſitate hac citata difflari geſtiant, per ἄδηλον διαπνοὴν exitum e glandulis ſubcutaneis moliantur, & conſequantur; ſin fixiores fuerint, etiam ſic naturæ inclinationem ſecundent, & per cribra vrinaria foras educantur partes ſeroſæ, oneri vel odio futuræ. Sunt enim ſymbolica diuretica & diaphoretica, etiam aliis exemplis, vtrobiuis aurigante archeo, pro ſuo modulo, & dirigente regimine. Sin comparate magis hæc luſtremus, verum eſt, magis velificari has vires aromaticas diaphoreſi, quam diureſi, ob volatilitatem maiorem. Vrinam cient, vt *Galeni* vires Carpeſio tributas huc referamus, & renes calculis laborantes liberant.

Cubebæ 7. ſunt *aroma roborans.* Addit hoc prædicatum reliquis omnibus pondus, tam dictis, quam dicendis. Roborans ſunt duplici nomine & dici merentur, prout vel intuitu ſpirituum, vel partium neruoſarum fibroſarum, illud acceperimus. Roborant ſpiritus, qui ætheris impenſi naturam exprimunt, aromatica refectiua ſua operatione. Excitant eosdem, ſubtili ſua ἀναθυμιάσει, & diffuſa

fuſa qualitate actiua penetranti, & poros reſerante. Roborant tonum partium laudata ſua terreſtri virtute, reliquis particulis ſubſtrata; non ſecus ac in cinamomo, vel congeneribus aliis id reperias. Dudum vero monuere curatiores medici, non æque expediri obſtructiones, indeque enatas noxas, incidentibus, attenuantibus meris, & puris putis talibus, ſed vna potius roborantibus.

Cubebæ ſunt 8. *aroma bezoardicum*, non tam ideo, quod in theriacam recipiantur, tanquam ſuccedaneum carpobalſami, longe optimum, cui virtutem reddunt dubiam; ſed quod idem mereantur. Affinia ſunt hæc & connexa in quampluribus caſibus, ſeu rationibus, prompte huc applicandis, vnde non vbiuis pro dignitate poſſunt illuſtrari vel expendi. Attamen & generali nomine id præſtant, roborante & excitante archeum, incidente & diſiiciente, ne plura addamus; & ſpeciali fermento putredinoſo turbatiuo maſſæ ſanguineæ oppoſitæ. Et vt ad ſpeciem digrediamur, præſtant id ſolitariæ, ſibi relictæ, & vt cauſæ ſociæ, ſeu reliquis vnita præſidia. Ita theriacam decorant, tincturam bezoardicam eſſentificatam virtute ſua mactant, non exigui momenti velut teſſera addita. Sic præſeruandi ſcopo vtiliſſimæ ſunt aduerſus vniuerſa contagioſa fermenta & μιάσματα, quæ ſub ſole ſunt. Vnde vel ſolo maſticatu præuio deglutitæ hoc nomine ſufficiunt ſæpe.

Sed plus vltra progredi fas eſt, & luſtrare vſum in affectibus particularibus corporis vniuerſi. Enimuero Cubebæ 9. ſunt *aroma cephalicum*, in quampluribus affectibus capitis vtiliſſimum, vbi ſpiritus ſunt excitandi, reficiendi, roborandi, lympha incidenda, reſoluenda, diſcutienda, pori reſerandi, circulus ſanguinis & lymphæ inſtau-

randus, & ſic porro actiones diuerſimode læſæ reſtaurandæ & integrandæ.

Ita communi conſenſu pro ſpecifico antidinico habentur. Cubebæ, inquit *Crato conſil. 182. p. 532.* mirum in modum vertiginoſis conferunt, vt inde etiam denominentur Germanis. Hinc & funambuli & tectorum curatores iis frequentius vtuntur. Memoriæ confortandæ inſeruire easdem in confeſſo eſt apud omnes, torporem ſpirituum excutiendo; & roborando, maxime in frigidiori & humidiori intemperie; in ſiccioribus enim exceſſu & abuſu minus id valet. Epilepſiæ, apoplexiæ, paralyſi, catalepſi, curatiue & præſeruatiue ſuccurrunt, maniacis & melancholicis deliriis apprime quadrant & conueniunt, ipſisq; affectibus ſoporoſis. Imo vero viciſſim vigilacibus cum humectantibus proſunt ſomnum conciliando, ſuaui ἀναθυμιάσει lymphæ conciliata. Catarrhis opem ferunt. Senſibus item internis & externis acumen addunt, cum robore, ſpiritus confortando, obſtructiones reſerando, neruis amicæ ipſis, & oculis halitu inflato a maſticatione.

Cubebæ 10. ſunt *aroma pharyngicum, maſticatorium, apophlegmatizans, faucibus & ori dicatum.* Non ſolum fœtorem oris corrigunt, virtute aromatica, & prohibent, gratiam conciliantes odoris, cuiuis fere amœni acceptique; verum etiam glandulas eliquant, ſaliuam proliciunt, aphoniam, ſtuporem, & alia vitia arcent, ſola maſticatione & deglutitione. In ipſis hinc gargariſmis, pro vuulæ laxitate, tumoribus anginoſis ipſis, defluxionibus, vlcerationibus tonſillarum, etiam malignis & Gallicis, vtiliter præſcribuntur. Quis neſcit, cum tabaco etiam commode maritari cubebas & aptari ad fumum hauriendum, vel vno

ſaltim

ſaltim alteroque grano addendo? Corrigunt enim eundem, tum quoad vim ſoporoſam, tum odoris quodammodo gratiam; augent vero vires inciſorias & fundentes.

Cumque pituitam inſigniter attenuent ac incidant, Cubebæ, 11. ſunt *aroma pectorale,* in tuſſi, aſthmate & catarrho ſuffocatiuo, non parum conferunt, ipſaque raucedine, & matutino tempore, & alias quoque. Maſticatis iiſdem, breui poſt per ſcreatum fit ſequax materia, coquitur ſic quaſi, & abſterſionem facilem acquirit, vt eiici queat. Hinc & iuuant oratores, & concionatores, vocem ſerenam fœnerantes, ſuggerentes ſaliuam debitam, ne deficiat neceſſarium humidum, & remouentes particulas viſcidas, vt refringi ſoni, & vox clara & diſtincta continuari poſſit, roboratis inſimul totum actum dirigentibus ſpiritibus.

Laudari hanc in rem meretur *Hermolaus Barbarus,* qui in *Corollar. l. 4. c. 759.* Carpeſium *ſcribit,* (illud enim cubebas & ipſe retur,) ſi ore contineatur, claram vocem facit pronunciantibus: ob id Bernhardus Iuſtinianus, homo inprimis doctus & eloquens, nunquam ſine hoc ſemine concionabatur. Idem & alii probatum & commendatum ſibi habent.

Cubebæ 12. ſunt *aroma cordiale.* Omnia quidem aromata hoc ſibi effatum vendicant, ſed cubebæ aliquid præcipui præ reliquis, ob virtutem bezoardicam, vnde difflationi magis fauent, adeoque & in febribus malignis, peſte, variolis, communi & ſpeciali nomine, proficiunt, nec parum momenti & ponderis addunt in palpitatione cordis, ſyncope, lipothymia, virium debilitate. Sæpenumero non ſolum ἔκλυσιν & lipothymiam imminentem, ſed & ipſam epilepſiam arcere licuit ſolis maſticatis & deglutitis cubebis.

Sunt

Sunt 13. Cubebæ *aroma ſtomachicum & carminatiuum*. Cubebæ ſeu piper caudatum ventriculos pituita ac flatibus languentes roborat, verba ſunt *D. Iacobæi Inſt. Med. l. 2. c. 2. §. 36. p. 28.* eaque longe veriſſima: & Indici medici ad roborandum ventriculum iisdem vtuntur. Proſunt hinc eximie in cardialgia, ſingultu, ructibus, inflationibus, ſoda, ſeu ardore ipſo. Cumque ſerpentinæ inteſtinales nihil aliud ſint, quam ventriculus continuatus, idem in volumine hoc longiſſimo continuant præſtantque.

Vſum ſiquidem non minorem exerunt in colica, torminibus, diarrhœa, imo & dyſenteria, cholera ipſa, ſi non ſeparatim, ſaltim comitatæ, non vno argumento. Vt polychreſtum enim remedium aſſeruimus, non alia ratione id effari licet, quam quod pluribus indicationibus ſatisfacit. Ventriculi etiam coctionem adiuuare creduntur, verbis *Caſp. Hoffmanni*, quemadmodum etiam diarrhœas ventrales, vt ſic dicam, ſiſtere, quod & *Serapio* ſcribit. Idem hinc valet de torminibus ventris, ileo ipſo & aliis.

Enimuero 14. Cubebæ ſunt *aroma anthelminticum*. Verminoſæ putredini omnis generis aduerſantur quam maxime, lumbricis, tæniis, aſcaridibus, ob actiuitatem ſummam, ſalino-ſulphuream, aromaticam, balſamicam, putredini contrariam quam maxime. Non mirum hinc, & aliis, inde oriundis per conſenſum, quoque ſymptomatibus illas ſuam commodare opem. Exemplo fuerit actiuitatis huius vel ſola a maſticatione in ore ſe exerens ac diffundens ſubtilis & maxime ſenſibilis laudata ἐνέργεια.

Adde quod Cubebæ 15. ſunt *aroma antiſcorbuticum*. Cum enim in putrilagine lymphæ radices potiſſimas obtineat ſcorbutus, illi vero cubebarum efficax præſidium ſuc-

ſuccurrat quam optime, facile patet, quantum ab iis expectandum ſit ſpei. Siue igitur ſtomacace obſideat gingiuas, & fauces vniuerſas, ſiue ſceletyrbe occupet pedes, ſcorbuto & frigido & calido cubebæ præbent antidotum præſtantiſſimum. Vna vero inde oriundis affectibus quampluribus medelam ſpondent efficacem. Neque opus hinc eſt, in ſingulis hiſce repetere actiuas illas particulas atque nomina, quibus hanc gloriam ſuſtinent. Tacemus hinc vim incidendi, aperiendi, & naturæ vigori amicam & efficaciſſimam, etiam in hiſce caſibus ſe exerentem egregie.

Seorſim quoque Cubebæ 16. *ſunt aroma aphrodiſiacum*; vti ſane Scriptores rerum Indicarum ſolenniter vocant, id quod ex familiari Indis vſu circa hæc ἀνόητα patet; ſiue ori inſertæ maſticentur, per ſe, vel in vino prius maceratæ, ſiue aſſumantur prius potius grana cubebarum aliquot, vtroque enim nomine commendantur; ſeu potiſſimum cum aliis maritatæ conſtituant compoſitum, vti ſpecies diacubebæ huic vſui quoque deſtinatæ ſunt. Neque tam ſtimulant ſolum eo caſu, quod de pipere aſſeritur, cum lactis calidi vſu; quam roborant ſpiritus, indeque elangueſcentem venerem. Audiamus iterum *Hermolai Barbari loc. cit.* ſed & illam dotem prædicant: maiorem in coitu voluptatem ſentiri ab iis, qui habeant illas in ore; quaſi non ſatis ſit in ea titillatione mens commota, niſi doceamur, quemadmodum nos venus adminiculatior, & violentior tranſuerſos auferat. *p. 63.*

Non minus Cubebæ 17. ſunt *aroma vterinum*, *ſeu hyſtericum*. Sane & vtero in quampluribus affectibus medentur. Si menſes ſunt promouendi reſtitantes, aperiente & rarefactiua virtute iuuant; ſin albus fluor ſcaturiat,

abſtergente & roborante. Paſſiones hyſtericas ſolantur carminatiua, volatili, neruis amica, efficacia, frigidam & pituitoſam conſtitutionem emendant, tum alias, tum ſterilitati amovendæ pondus addunt, & lochia remorantia in ordinem vocant, putrilaginem, ſordes, grumos disiiciunt, aſcarides & inflationes remouent, fœtum roborant. Neque id ex ſpeculatione vel ϛοχασμῷ aliquo aſſerimus, ſed ratione & experientia concordante & reſpondente, id quod etiam de aliis dictis & huc referendis verum eſt.

Tacemus enim 18. vires cubebarum alias quam plures, in viſcerum obſtructionibus & tumoribus hepatis, lienis, meſenterii, in inflammationibus, quarum mentione illud in mentem venit, quod cum camphoræ virtute aliquid commune habent; acrimonia, volatilitate, ſubtilitate, penetrantia, ne de ſapore ipſo dicamus; in cruditatibus, diarrhœa, dyſenteria, cholera ipſa, per iam dicta, vtilisſimæ.

CAPVT IV.

De

Cubebarum præparatione & vſu externo.

NOn mirandum itaque, cum tales tantasque posſideant virtutes Cubebæ, quod in vſum clasſicum officinalium medicamentorum iam dudum fuerint receptæ, & vſus ſint vulgatisſimi, ſummis, medioxumis & infimæ ſortis hominibus, acceptæ, cognitæ & commendatæ.

Enim-

Enimuero in vſum hinc veniunt toto die in ſubſtantia, per ſe, ſtatim ſuæ, ſola maſticatione εὐπόριστον & extemporaneum medicamentum, in malis non vnis auertendis, non tam curando & palliando odore anhelitus fœdo, ſed etiam gratum in ſanis alioqui ſpirando. Nemini enim non arrident, nec ingratum vlli, quod ſciamus, odorem obtinent.

Faceſſunt & remiſcentur quoque in puluerem ſimplicem, & compoſitos. Puluis cubebarum ſane, ſi recens ſit, alius quaſi apparet, quam maſticando prolectus, gratior, penitiorque, vna vero quandam velut vnctuoſitatem balſamicam præ ſe fert, & ſic cohærentem magis, præ aliis ſiccioribus, vt pipere ipſo. Hinc combinari amat & internis & externis aliis, vbi calida, aromatica & determinate ſpecifica harum virtus præſto eſt. Memoratu hinc dignæ SPECIES DIACVBEBARVM, indeque paratum ELECTVARIVM DIACVBEBARVM. Deſcribit hoc *Iohannes Anglicus in Practica ſua, Roſa Anglica inſcripta, capite de Hydrope.* Sed, cum dulcius ex ipſo fonte bibantur aquæ, & incomplete quaſi recenſio facta ſit a *Sennerto Tom. II. Prax. l. 3. P. 6. S. 2. c. 3. p. 744. capite de hydrope*, licebit nobis locum integrum hic inſerere.

Ita vero ſcribit *p. 406. ſ.*: Detur patienti (hydropico) frequenter ELECTVARIVM DIACVBEBARVM, cuius hæc eſt deſcriptio: ℞. *ſandal. omn.* ā. ʒij. *ſpodii, raſur. ebor.* ā. ʒj. *ſem. ocymi, cubebarum* ā. ℥ß. vel ʒiij. (ſi patiens magnam ſentiat caliditatem,) *ſem. 4. frigid. mundat.* ā. ʒij. *endiu. portulac.* ā. ʒj. *lign. aloes, nucis moſchat.* ā. ʒß. *ſacchar.* ℔j. cum decoctione vel aqua endiuiæ paretur.

Vtatur mane in bona quantitate, non ſero, niſi cum

patiens non cœnat: quia medicina hepatis non debet dari, niſi ſtomacho vacuo, ſi omnino fieri poteſt. Pono aliquando loco ligni aloes ſpicam nardi: &, ſi ſubſtantia hepatis non ſit reſoluta, procul dubio liberabitur: ſicuti ſum expertus plus quam in viginti hominibus: & eſt Electuarium plus valens in quauis hydropis ſpecie, quam ſpecies diatrion ſandalon, quia recipit tantum, quantum confectio diatrion ſandalon; eſtque Electuarium pro hydropicis ſingulare arcanum, quare nemini debet communicari, niſi accepto præmio. Hactenus ille.

Neque vero audiendi, qui cum *C. Hoffmanno* ſtatuunt Electuarium diacubebæ non vſurpari; quod cum diatrion ſandalon eosdem effectus habeat.

Concinit illi *Paracelſus* ipſe; qui in vndimia, quam vocat, ſeu hypoſarca, œdemate, & aliis morbis reſolutis, a ſeroſa colluuie oriundis; *ſpecies diacubebarum* pro principali habet remedio, eiusque variationes aliquot præſcribit, *l. 4. Paragraph. p. m. 461.* Et easdem in hydrope commendat *l. de hydrop. p. 517.* & *l. 2. de vit. long. c. 7. p. 846.*

Alias vero idem ſpecialem & ſingularem, de viribus aromatum, nominatim macis, cubebarum & piperis, habet opinionem; quomodo e ſale, ſulphure & mercurio nobilisſimis, ac cum ſapore, tum odore præſtantisſimo dotatis progenerentur *l. 3. Philoſ. text. 8. p. 272. edit. Latin. Geneu.* Hodie dotales & ſeminales illas vocamus, ſpecifico fermento ſeminali debitas, quæ diuinæ ſapientiæ debentur, & humanum etiam ſuo loco ſuperant intellectum. Id quod ſuperius laudatis elementis eſt addendum merito.

Deſcribitur vero hæc compoſitio diacubebe dicta, non multum ab Anglica dicta differens, quæ nomine Paracelſi cir-

circumferatur, quam procul dubio ab antiquis medicis mutuatus ſit, etiam a *Sennerto med. Pract. l. c.*

℞. *cubebar.* (quos tamen myrtillos Heidelbeer nominet,) *ocymi caryophyl.* ā. ℥ß. *ſandal. omnium* ā. ℥ß. *raſur. ebor. carab. citrin.* ā. ʒiij. *ſem. 4. frigid. mai. mundat.* ā. ʒj. *lign. aloes, nuc. moſchat.* ā. ʒiij. cum *ſir. granat.* F. Electuarium. Ferunt, *addit*, hujus ſolius vſu, præmiſſis præmittendis, niſi viſcerum ſubſtantia plane ſit corrupta, hydropem tolli; quæ conformia ſunt iam aſſertis.

Sic & recipi poſſunt, non ſine virium acceſſione, in puluerem ſtomachalem Birckmanni, cachecticum Quercetani, cinabarinum, & alios quam plures, pro indicantium modulo, & circumſtantiarum aliarum ratione. Imo ingrediuntur quoque *ſpecies aromaticas caryophyllatas, ſpecies diamoſchi dulcis, dianiſi, diacurcumæ, dialaccæ Actuarii*, & alias, quas omnes hic prolixius referre non attinet.

Par ratio eſt, ſi in tragema formentur, vel ex cubebis ſolis cum ſaccharo ana, vel paulo amplius, vel additione aliorum in vſum cephalicum, ſtomachicum &c. Loco hujus etiam ſaccharo obductæ vſitatiſſimæ ſunt, überzogene Cubeben / quæ confectæ, rarius vero candiſatæ, etiam menſis ſecundis quandoque apponuntur. Et hæc quoque forma eſt portatilis admodum, delicatioribus commendanda & concedenda, qui dulcibus delectantur magis, quam in ſubſtantia aſſumptis.

Quod ſi liquida forma ex cubebis præparata libemus quoque, quibusdam officinis recepta, & hinc in taxis relata, viſitur ipſa etiam Aqva cubebarum ſimplex, nominatim Wittenbergenſi, & aliis. Aſt, vt verum fatea-

E 3 mur,

mur, primario vſu minus hæc celebratur, vel in praxi hodie præſcribitur. Et ipſæ tamen in compoſitis magis receptæ leguntur, vnde in *aquam ſtomachalem*, & *ſpermaticam ſeu aphrodiſiacam Mayerne* ingrediuntur, ne alia laudemus.

Idem de SPIRITIBVS dixerimus, ſiquidem conſulto recipi conſueuere a curatioribus medicis Practicis in *ſpiritus apoplecticos*, *balſamum vitæ*, *aquam embryonum*, & conſimiles compoſitiones elegantiores.

ESSENTIA cubebarum quoque ſimplex conſimiliter minus vſu recepta eſt, aſt in compoſitis excellit omnino ſua acceſſione. Enimuero ingreditur merito *eſſentias aromaticas*, *tincturam bezoardicam eſſentificatam*, *eſſentiam lignorum*, *carminatiuam* aliasque, *elixir item ſtomachale* v. g. *Rolfincii*, *cephalicum*, & ſimilia, & quidem ſummo ſuo merito.

Sic & *Decoctum ſatyriacum Mynſ. catarrhale ejusdem*, vt & *epithema in dolore capitis* a cauſa frigida, apud ipſum legenda, ingrediuntur, vt electuariorum, puluerum, infuſorum, morſulorum, & inter hos ad acidulas neceſſariorum, puluerum pepticorum, & plurium aliarum compoſitionum farraginem non laudemus, quam apud practicos autores hinc inde vbertim ornant, & præſcriptas reperire licet. In theriaca ipſa carpobalſami ſuccedaneum, ſolenni conſenſu, conſtituunt, imo eidem palmam dubiam reddunt, & præferendæ omnino videntur conſultius.

Nec exterius vtiles eſſe deſinunt. Sic, præter epithema *Mynſ.* laudatum, recipi merentur in *ſpecies pro epithemate* ad cor & pulſus, quales ex *maro*, *cubebis*, *zedoaria*, *corticibus citri*, *camphora*, multi vſus concinnare licet. Ingrediuntur commode gargariſmata, cucuphas, ſeu ſacculos cephalicos, decocta ad gangrænam & ſphacelum, pulueres

&

& mixturas ad condituram cadauerum, fotus & ſacculos neruinos & cephalicos, in vulneribus capitis, ſubluxationibus, metu gibberis, contuſionibus, caſu ab alto, & ſic porro; inexhauſtis enim pollent dotibus.

Non indictum dimittendum eſt & OLEVM CVBEBARVM deſtillatum, via humida præparatum. Si enim lege artis infundantur cum ſ. q. aquæ ſimplicis, ſine vel cum ſale communi & tartaro, facta leni contuſione prius, v. g. ad ℔iij. inde olei ætherei ℥iiß. proueniſſe viſæ ſunt. Et hoc ipſum quidem gaudet latitudine quadam, demonſtrat tamen ipſorum naturam quoque, & ſulphur purum, quamuis ſale volatili non ita fœtum, vt in ſubſtantia reſpectiue, indeque facilius viſcedinem quandam, ex qua fluorem indeptum emicuit, vt ſimilia, contrahens.

Eligendum vero & hoc eſt verum, genuinum & impollutum, citra terebinthinæ vel alterius olei extranei miſcelam, prout hodie, peſſimo more, in plerisque officinis inoluit.

Hoc ipſum oleum commodisſime poteſt reſolui in eſſentiam, beneficio ſpiritus ſalis ammoniaci dulcis, tincturæ tartari ſimplicis & compoſitæ, maxime antimoniatæ; addi item pulueribus cephalicis, ſtomachicis, vterinis, vt ad fluorem album, anthelminticis, oleo bezoardico, balſamis, rotulis, morſulis, vberrimo vſu & effectu.

Quæ inſuper alia occurrunt hic minus tacta, poſſunt facile ad loculos ſuos referri. Neque enim abuſus tanti eſt, vt plures cautelas addere ſit neceſſarium, & qui forte acciderit, adnumerandus exceſſui, cum aliis quibuscunque communi, vt non opus ſit hisce amplius immorari.

SOLI DEO GLORIA.

J705
W391di

GEmmæ alios lapides, herbas
excellit aroma,
Vt vinum ſuccos, homines
animalia bruta.
Singula diffundunt dotes, morbisq;
medentur,
Queis cognoſcendis naturæ myſta
vacare,
Suſtinet, ac aptas in corpus didere
vires.
Hos inter viſendus eris, quem no-
ſter Apollo
Ordinibus ſociat Doctorum, muri-
ce claro.
Nos plauſu & votis hæc præmia di-
gna laborum
Excipimus calidis, vt longe plura
ſequantur.

Ita
Nobiliſſimo Doctorando
gratulatur ex animo

PRÆSES.